



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Perillustri Domino Domino Georgio Josepho, Domino de Mannstorff/Sacri
Romani Imperii Equiti, Sacræ Cæsareæ ;ajestatis Consiliario, Et Inclytorum
Statuum Austriæ Supra Onasum Electo Quæstori, Syndico ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](#)



PERILLUSTRI DOMINO
DOMINO
GEORGIO
JOSEPHO,
DOMINO de *Mannstorff*/
SACRI ROMANI IMPERII EQUITI,
SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS
CONSILIARIO,

ET
INCLYTORUM STATUUM AUSTRIÆ SUPRA
ONASUM ELECTO QUÆSTORI, SYNDICO
ET SECRETARIO, &c.

DOMINO DOMINO
GRATIOSO.

PERILLUSTRIS DOMINE,
DOMINE MECOENAS
GRATIOSISSIME.



Ternum gratitudinis positum Monumentum, Opus
hoc posthumum Tuishonoribus consecramus Perillustris Domine, Me-
cenas Gratiosissime, ut quando pro beneficij magnitudine de nostro grati-
esse non possumus, alieno etiam labore, non quantum debemus, sed quan-
tum licet, compentemus. Quanquam & hoc Tuum est, utpote qui proprium Tibi, ac
Tui juris esse fecisti, quidquid eruditum ac sapiens est. Recte igitur, ac jure optimo suam
apud Te famam querit, Tuisque gaudet insigniri nominibus; doctus enim sudor & labor,
nullibi quiescit melius, quam in manu Sapientis, felix vel ideo, quod primam sub ejus
auspiciis lucem videat, cui displicere minimè, plurimum placere potest. Id quod facile
nobis persuadet rara Tua indoles, magna Juris utriusque eruditio, prudentia singularis,
animus ad negotia Reipublicæ bene gerenda natus, & aptus, atque virtus exquisita. Præ-
lusisti tantæ sapientiæ jam tenera in ætate, adhuc adolescens, & quæstus senum prudentiam,
eā maturitate judicii, quam suspicerent singuli, asséqui se posse pauci putarent. Nec mi-
rum; ea siquidem primis annis *Tibi* ludus erant, quæ viris aut labor, aut oblectamenta
sunt, scilicet: delitescere inter libros, meditari gesta temporum, evolvere Provinciarum
fastos, arcana rimari. Et quia DEUS & natura sublime *Tibi* contulit ingenium,
facile omnia es asssecutus; penetrasti magnarum rerum abdita, eamque privatus imbibisti
scientiam, quæ ad procurandum Patriæ bonum, salutem publicam, Provinciæ gloriam
pertinerent. Latuisti quidem inter hæc arcana, & arcana, quæ firmâ tenes memoria, te-
cum latuerunt. Diu tamen abscondi non potuit virtus, & sapientia, quæ primus & sum-
mus *Tibi* gradus fuit ad eam, in qua emolumentum Reipublicæ promoves, dignita-
tem. Merebaris hanc antequam asssecutus eras, quod recte iudicavit Viena, perspexit
Aula sagax, Status Inclyti Austriæ superioris non tam præsigiebant, quam videbant.
Undenon parrociniis aliorum, non splendore natalium, sed virtute, ac meritis, fortuna-
tæ huic Provinciæ factus à secretis, id est: calamo, & consiliis defensor Patriæ, Promo-
tor & Conservator publicæ felicitatis. Hac nempe dignitates veniunt, quæ Virtus & Sa-
pientia præxit, hæc vulgo eximit, & sola illustres facit. Quod cum ita evenisse *Tibi* cerni-
mus, nihil ceris Majorum, nihil fortunæ debes, quid quides, totus *Tuus* es; hoc genti-
litii Leones Tui malleis armati satis indicant, quod sis *Fortuna*, faber ipse *Tua*.

Et quamvis Te hic laudare noluimus (*Tu enim ipse Tibi elogium es*) vel nolentem
excitant memoriam iidem fortissimi Leones clypeo *Tuo* insculpti. Liceat ergo meminisse
turbi-

D E D I C A T I O

turbinis Bojici, quem sive livor, seu tumor perfidus paucos ante annos excitaverat. Gravis profecto inde Ripensi Norico, ac universæ Austriae impendebat calamitas. Hæc ipsa tamen tempestas, & procellæ non pericula, sed virtutis erant tentamenta; stetit enim hos inter fluctus, Te adjuvante, Status Inclytus Austriae inconcussus, breve temporis intervallo consilio & fortitudine depulsis nubibus, non minus celeriter, quam feliciter pristinam reduxit serenitatem. Cujus laudis & gloriæ, quia Tu particeps es, multum Tibi debet posteritas, suumque ad invidiam antiquitatis in Te uno laudabit Horatium Coelitem, narrabit C. Attilium, novum Cynegrim Athenensem, imò Austriacum ostentabit. Horum quidem primus Etruscis in urbem ponte subilio irrumpentibus, extremam ejus partem occupaverat, totumque hostium agmen, donec pons, & cum ponte hostilis victoria abrumperetur, indefessa pugna detinuit; ac redditâ Patriæ libertate armatus in Tyberim insiliit, extinctus inter aquas, ut sibi gloriam accenderet, vel post facta victurus in hominum memoria. C. verò Attilius cum pro Cæsare maritimâ pugnâ praeliaretur, abscessâ dexterâ, lœvâ inimicam puppim apprehendens, non ante dimicare desistit, quam prædam navalem profundo mergeret. Major erat Atheniensis Cynegris gloria, qui post innumeras cædes, fugientem hostium navim tam diu fortiter tenuit, donec amissâ utraque manu dentibus captam, duceret captivam in triumphum. Sed hæc omnia plus feritatis quam virtutis, plus temeritatis quam laudis habent. Tu ut à finibus Patriæ hostem arceres, non manibus, aut dentibus, sed consilio, prudentia, ingenio, dexteritate, virtute, ac fortitudine tenuisti, & conservasti navim Reipublicæ, donec auxiliares adventarent copiæ, & furentem ac palantem Boicum Martem receptui canere coegerint. Agnovit in hoc, & suspexit virtutem & sapientiam Tuam Viennam, deprædicabit Austriae posteritas, & quam dignum sit, ut in exemplum venturis propinquatur annis, Tu ipse nosti, nobis nondum licitum enarrare.

Illud præterire, ac involvere silentio minimè possumus: quanta in eodem turbine ac procellis magnanimitas enituit! stabat omni ex parte hostis ferox ac truculentus, audax alieno timore, numerosus nostrâ paucitate, validus, dum nondum haberet æmulos, victoriosus ante pugnam. Tunc, si quando, hoc in litore Danubii veluti cardine fortuna Civium, felicitas Austriae, majestas Imperii nitebatur; & jam prope actum erat de urbibus, salus ipsa desperâsse videbatur. Sed non diu Cœlum distulit solatia, non diu fluctuabat has inter procellas Ripense Noricum, exceptit vim illam tempestatis intrepidè, fregit impetum, dum ita volente Viennâ (quo animante Tu nosti) Status Austriae supra Onasum generosos Patriæ Tuæ conscribit pugiles, qui omnes animo infraeti, tanquam Gedeonis milites, non in lampadibus, sed pectore martiale spirabant ignem; & quamvis sexies mille vix excesserint, in opinione tamen hostium viginti & amplius millia pavor numerabat; quo turbatus hostis Gallicus & Boicus numero, in fuga salutem quæsivit. Ita nimium volentibus non obsecundavit fortuna; dum qui antea irruerant spe audaces, recedebant metu pulsi, timidi ad famam Noricorum, vieti sunt victores, detriumphati antea triumphantes. Adeò nullum Nunquam absit, si adsit prudenter, & Vir sapiens fortior est expugnatore urbium. Robur & ratio prima sunt Regnum firmamenta; consilio & animi fortitudine tuta manet salus Reipublicæ, florent urbes, augmentur opes, fortunæ conservantur.

Magna hæc laus, encomium singulare, summa gloria, quia Status Incliti; atque Tua est, Perillustris Domine, vincitis antiquam Romani nominis gloriam, novum
de

DEDICATIO.

de veteri sub Austriaco Imperio facitis Noricum, quod licet regni titulis ac maiestate ornatum fuerit, antequam teste Cæsare, & Vellejo Paterculo, Claudius Drusus, atque Tiberius in formam Provinciæ redigisset, nunc tamen irriguum superius & inferius, non modò amoenitate soli, partim in planitem æquati, partim in montes collesque assurgentis, atque fluviis deliciosi, verùm etiam populi frequentia, nobilitate, opibus, felicitate, regna & provincias exæquat.

Nec mirum; dum adhuc tot inter bella rudior esset, floraretque minùs, adeo Provinciam hanc à Romanis adamata esse, ut suas è Latio deduxerint colonias, de quo Welsium, vulgo Wels venusta & Archiducalis Austriæ superioris Civitas, ab antiquis Noricis Wilabs, à Latinis Ovilaba, vel Ovilava dicta etiamnum gloriatur, disertèque sub quadam porticu Lambacensis Cœnobii legendum vetusto in marmore ostendit. *Colonia Aurelia Antoniana Ovil.* Anisia quoque olim Norici prætoria, & metropolis Archiflaminum, qui fusis latè accolis sacrum jus dicebant, Lauriacensem Romanorum coloniam sub Octaviani Augusti Imperio antiquo monstrat in lapide. Pauca hic de innumeris, quæ passim eruta leguntur sub jungimus Romani Norici monumenta. Lincii:
AUG. IN MEMORIAM M. MODESTI M. F. REPENTINI. M. MODESTUS REPENTINUS PATER VETER. DEC. ALÆ AVANTICORUM. Ibidem. *APOLLINI AUG. IN MEMORIAM M. MODESTI. M. F. REPENTINI M. MODESTUS REPENTINUS PATER V. L. TE. X. DEC. AL. JAVARACORUM.* Ibidem. *L. FL. CAMPESTRINUS VET. ET JULIA EXORATA JVL. EXORATO LIB. COS. FIL. OB. ANN. XX. ET SECUNDINO CANDIBIANO. BE. COS. GENERO VIVI FECERVNT.*

Reperta sequens inscriptio & Laureaciam ac Viennam translata parieti Ducalis Collegii est inserta: D. D. D. N. N. VALENTINIANI VALENTIS ET GRACIANI PERENNIMUM AVGVSTORVM SALUBERRIMA JVS-
SIONE HVNC BVRGVM A FVNDAMENTIS ORDINANTE VIRO CLARISSIMO VTRIUSQ. MILITIÆ MAGISTRO INSISTENTE
ETIAM LEONTIO P. P. MILITES AURELIANES LAUREACENSES
CVRÆ EIVS COMMISSI CONSVLATVS EORVNDEM DOMINO-
RVM PRINCIPVM VE NOSTRORVM TERTII AD SVMMAM MA-
NVM PERDVXERVNT PERFECTIONES. Inventa sunt & alia ROMA-
NORVM vèstigia Laureaci, ac imprimis in Templo D. Laurentii extra mœnia: D. M.
FAVSTINI ANOT. VE. C. T. ILLYR. VIL. INGENVS. FIL. ET FELIX.
T. S. C. EX. VIR. EIVS B. M. P. P. Ibidem in Castro: C. JVLIO VECTIO
AVG. VINDELI. CVM MIL. FR. LEG. VIII. AVG. VI. AN. VI. H. F. C.
In mœnibus Civitatis: M. ANTON. JANUARIUS T. FLAVIUS. P. T. NORI-
CVS III. VIR I. D. V. F. BAVIA. Q. L. PRIMA SIBI ET BRICENIO SIVE
SERVO SIVE LIBERTO MEO ET BLANO. Ibidem in turri quadam: ÆL.
CANNALON. o. AN. LXX. ET ÆL. SECUND. CON. o. ANN. XL.
ÆL. C. DIDVS.

Ex his palam & apertum est: antiquis Romanorum Ducibus & Imperatoribus Ripense Noricum centrum fuisse Fortitudinis & gloriæ, unde ob situm & opportunitatem loci diversas partiti sunt lineas, quibus Europam sibi connecterent, & ut Strabonis de Lug-
duno

D E D I C A T I O .

duno verbis utamur, divisorunt Noricum orbi, & orbem Norico. Hic ne nipe semper tua
tissimi altas erexerunt turres, fundarunt praesidia, armaverunt classes, quas inter fuerat praecia
pua Laureacensis. Hic Legionis secundae sedes, imo Romani Martis campus & omne ro-
bur Latinorum, dum ad ripam Istri, qui fuit, ut Ausonius canit: *Illyricis regnator aquis,*
Tibi Nile secundus; velut ad frontem Germaniae, teste Tacito, fortissimum posuere mi-
litem Cæsares, id est: uti docet Codex Mariani, Joviam, secundam Julianam, tertiam
Herculeam, legionem Valentinianensem foelicem, Legionem Vietricem Honoriana; quibus interserta erant auxilia: Sagittarii Tungri, Sagittarii Venatores, Lancearii Co-
magenses, Rhoeti, Sequani, Seguntienses, Tungri, Mauri, Mauri citati, Paratta-
nenses, Propugnatores juniores, Honoriani seniores, Latini, Norica Juventus & optimi Lancearii à Laureaco Laureacenses. Ubi M. Aurelius Antonianus Cæsar commorans
prodigiosam de Marcomannis victoriam reportavit. Spectarunt hanc Austriaci fines, &
sacri profanique narrant fasti: Gentes ab Illyrici limite usque in Galliam cum Marcomannis conspiraverant, videlicet: Narisci Hermunduri, Quadi, Suevi, Sarmatæ, Latringes,
Buri, Victovali, Sosibes, Sicobores, Roxolani, Bastarnæ, Alani, Peucini & Castobo-
ci. Magnam hi populi Romanæ potentiae minabantur cladem, quam ut averteret Impera-
tor, in Ripensi Norico gloriae suæ theatro castra metatus est; ubi dum ingenti universus
exercitus laboraret siti, neque tutum foret eam deserere stationem, surda fusis preci-
bus implorabat Numina; donec Christiani milites, qui magno numero sub M. Aurelio
Antonio merebant Stipendium, flexis humi genibus, verum Deum exorassent adeò
efficaciter, ut non modo pluviam recreandis Romanorum copiis, sed & grandinem, &
fulmina, quibus hostes vincebantur extorserint, ex quo deinceps nominabantur Legio ful-
minatrix. Addimus testimonium Dionis Cassii tunc viventis: *Videre licebat, inquit ille:*
in eodem loco aquam, ignemque de celo cadere, atque ob eam causam alios bibere, alios exuri,
ac prorsus interire. Non attingebat ignis Romanos, aut si forte cum iis misceretur, extingue-
batur subito: neque imber juvabat barbaros, sed eos non secus inflammabat, atque oleum, ut
aquam requirent, plurimâ perfusi, infligenteisque sibi pars vulnera, quo ignem sanguine re-
singuarent, pars confugerent ad Romanos, quasi illis tantummodo aqua salutaris esset.

Ut vero armis parta fortius tuerentur, & imperii sui limites extenderent, celeberrimum
in Efferring (quod à freto nomen accepit) quatuor leucis Lincio versus occidentem instru-
xerunt portum, ex quo armatas classes solvebant in Pannoniam, transcurrerant in Marco-
manniam, Sarmatiam, Daciam, per totum Septentrionem Romani nominis famam illu-
strari. Cujus gloriae meminit Claudianus in Panegyri, quan de tertio Honori Consula-
tu cecinit:

*Reptasti per signa puer, Regumque feroceſ
Exuvia Tibi ludus erant, primusque solebas
Aspera complecti torvum post prælia Patrem,
Signa triumphato quoties flexiſſet ab Istro,
Arcta de ſtrage calens, ♂ poscere Patrem
De ſpoliis Scythicos arcus, aut raptæ Gelonis
Cingula, vel jaculum Daci, vel frena Suevi.*

Hæc omnia de veteri Norico ideo attulimus, ut novam Austriæ Majestatem, quæ mo-
derno fulget sæculo, quam *Status Inclitus*, Tuque fidelis boni publici Minister auges &
conservas, amplius admirerum. Opponamus ergo lucem umbris. Ubi sunt veteres illæ
Lauri? ubi erecta quondam propugnacula? ubi prodigiosus ē lapide pons, quo Trajanus

D E D I C A T I O.

Danubii ferociam castigaverat? ubi turres Latinorum? jacent diruta omnia, suisq; ruderibus insepulta fama, temporis invidiā exesum nomen vix legi potest in vetustis marmoribus! Imò dum etiam starent vincerentque Romani, jam victores vincebantur, continuò alternabat fortuna vices, & variabilis alea belli subito victorias in hostem transtulit, occupatasque sanguine terras alienā contulit potestati. Nec ambiguū est apud Historicos alteram trans Danubium Austriae partem unquam succubuisse Romanæ potentiae, quæ semper & communi Germaniae felicitate fructa, & hoītium fortitudinem est æmulata. In hoc verò quod eis Istrum jacet, Ripensi Norico quoties Marcomanni, & Quadi ab Occidente, Sarmatae ab Oriente Romanas fregerunt vires? quoties Massagetae, Suevi, Gothi, Vandali, Daci, Pannones, aliæque gentes in Romanos non sine triumpho irruperunt? Quorum hostes, & non rarò victores Sidonius Apollinaris enumerat: *Quidquid languidus axis, Cardine Sithonio sub Parrhase parturit ursa. scilicet: Bastarna, Suevus, Pannonius, Neurus, Chamus, Geta, Dacus, Alanus, Bellonthus, Rugus, Burgundio, Vesu, Alites, Bisalta, Ostrogothus, Procastes, Sarmata, Moscus.* Hinc meritò arbitramur, & annales docent, tot inter violentias manus Norici fortunas, atque dignitatem neque diu florere, neque augeri potuisse. Unde votum tantum fuerit Claudiani pro Stilicone de finibus Illyrici (cujus Princeps erat Provincia Noricum) dum cecinisse:

*Sub tot Principibus quæcumque amissimus olim,
Tu reddis, solo poterit Stilicone medente
Crescere, Romanum vulnus tectura cicatrix,
Inque suos fines tandem redeunte Colono,
Illyricis iterum ditabitur aula tributis.*

Feliores nos, atque ter felix Orbis Germanici gemma, cor & clypeus Imperii Austria sub Austriacis Principibus! de qua non jam augurium, sed veritatem quis ambigat expressam in Symbolo illo foribus Aulæ Cæsareæ Neostadii prefijo? *A E I O U;* quod Fridericus Quartus, utpote Author ejusdem jam olim ita evolvit:

Austria Est Imperare Orbi Universo.

Alles Erdreich Ist Öesterreich Unterthan.

Nec audemus absque temeritate maximæ Provinciæ hujus decora folio inscribere, dum ea non capiunt volumina; illud Orbi notum: Ripensē Noricum, seu Regio ab Onaso ad Oenum usque protensa, quinque Regum, velut pro Imperio decertantium sanguine colorata, postquam Anno 1156. Bavariae adempta in potestatem venisset Austriacorum Principum, non interruptâ serie, nullis temporum eversa tempestatibus semper floruit, Ducatus, & Archi-Ducatus ornata titulo, atque amplissimis Cæsarum favoribus & privilegiis confirmata, splendorem, ac magnificentiam latè propagavit. Hujus in argumentum diploma Friderici I. Cæsar, non ingratum Lectori Austriaco proponendum censuimus:

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Fridericus divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus, Primus ejus nominis. Quanquam rerum commutatio ex ipsa corporali institutione posit firma consistere, necea quæ legitime geruntur, ulla posset refragatione corrilli: tamen ne causa rei gestæ posit esse ulla dubietas, Imperialis intervenire debet authoritas. Noverit igitur omnium Christi, Imperiique nostri fidelium ætas, & futura posteritas, qualiter nos ejus cooperante gratiâ, à quo celitus pax missa est hominibus super terram, in generali nostra Curia Ratisponæ, in nativitate S. Mariae celebrata, in praesentia multorum Religiosorum & Catholicorum, litem & controversiam, quæ inter charissimum nostrum Heinricum Ducem Austriae, & inter Nepotem nostrum charissimum Heinricum Ducem Saxoniae, diu agitata existit, super Ducatu Bavaria, & su-

D E D I C A T I O

Et super Marchia à superiori fluminis parte Anasi terminavimus hoc modo: quod Dux
 Austriae resignavit Nobis Ducatum Bavariae, & dictam Marchiam, quos tenebat. Quā
 resignatione factā mox eundem Ducatum Bavariae in beneficium contulimus Duci Saxonie.
 Predictus verò Dux Saxoniae cessit & renunciavit omni juri & actioni, quas habebat ad
 dictam Marchiam, cum omnibus suis juribus, & beneficiis. Ne autem in hoc facto honor
 & gloria Patri nostri charissimi aliquatenus minuatur, de consilio & judicio Principum,
 illustri Vladislao Duce Bohemiae sententiam promulgante, quam ceteri Principes approba-
 bant, Marchionatum Austriae, & dictam Marchiam supra Anasum commutavimus in
 Ducatum; ejusdemque Ducatum, cum subscriptis juribus, privilegiis & gratiis omni-
 bus, liberalitate Casarea contulimus Heinrico predicto Patrio nostro charissimo, prænobi-
 li Uxorii suæ Theodora, & liberis eorumdem ob singularem favorem, quo erga dilectissi-
 mum Patrum nostrum Heinricum Austriae Duxem, ejus conthoralem prænobilem Theo-
 doram, & eorum Successores, nec non erga terram Austriae, quæcypus, & cor sacri Ro-
 mani Imperii esse dinoscitur, afficimur. De consilio & assensu Principum Imperii, dictis
 Conjugibus, eorum in eodem Ducatu Successoribus, nec non præattacta terræ Austriae sub-
 notatas constitutiones, concessiones, & indulta autoritate Imperiali in jura plena & per-
 petua redactas, donavimus liberaliter vigore presentium, & donamus: primum quidem
 quod Dux Austriae, quibusvis subsidio & servitio non tenetur, nec debet esse onerius sa-
 cro Romano Imperio, nec cuiquam alteri, nisi ea de sui arbitrii libertate fecerit: eo excepto
 duntaxat, quod Imperio servire tenebitur, in Hungariam duodecim viris armatis per men-
 sem unum sub expensis propriis, in ejus rei evidentiam, ut Princeps Imperii agnoscatur.
 Nec pro conducendis Feudis requirere seu accedere debet Imperium extra metas Austriae, ve-
 rum in terra Austriae sibi debentur, sua feuda conferri per Imperium, & locari. Quod si
 sibi denegaretur, ab Imperio requirat, exigat literatorie trina vice: quo facto juste posside-
 bit sua feuda, sine offensa Imperii, ac si ea corporaliter conduxisset. Dux etiam Austriae
 non tenetur aliquam curiam accedere, edictam per Imperium, seu quemvis alium, nisi ul-
 tro de sua fecerit voluntate. Imperium quoque nullum feudum habere debet Austriae in Du-
 catu. Si vero Princeps aliquis, vel alterius Status persona nobilis vel ignobilis, cuiuscun-
 que conditionis existat, haberet in dicto Ducatu possessiones ab ipso jure feudali dependentes,
 has nulli locet seu conferat, nisi eas prius conduixerit a Duce Austriae memorato: cuius con-
 trarium si fecerit, eadem feuda ad Duxem Austriae de voluta, libere sibi extunc jure proprie-
 tatis, & directi domini pertinebunt. Principibus Ecclesiasticis, & Monasteriis exceptis
 duntaxat in hoc casu. Cuncta etiam secularia judicia, bannum sylvestrium & ferinarum,
 piscina & nemora in Ducatu Austriae, debent jure feudali a Duce Austriae de vendere.
 Etiam debet Dux Austriae de nullis oppositionibus, vel objectis quibuscumque, nec coram
 Imperio, nec aliis quibuslibet, cuiquam respondere, nisi id sua propria spontanea vo-
 luerit libertate: Sed si voluerit unum locare, poterit de Vasallis seu homologis, & coram illo
 secundum terminos praefixos parere potest, & debet justitia complemento. Insuper potest idem
 Dux Austriae, cum impugnatus fuerit ab aliquo de duello, per unum idoneum, non imenor-
 mitatis macula detentum, vices suas prorsus supplere: & illum ipse eadem die seu Prin-
 ceps, vel alius quisquam pro alicuius nota infamia non potest impetrere, nec debet impugna-
 ri. Præterea quidquid Dux Austriae in terris suis seu districtibus, seu fecerit, vel statuerit,
 hoc nec Imperium, nec alia potentiam modis, seu viis quibuscumque debet alio quoquo modo in
 posterum commutare. Et si, quod Deus avertat, Dux Austriae sine herede filio decesserit,

D E D I C A T I O.

idem Ducatus ad seniorem filiam quam reliquerit, devolvatur. Inter Duces Austriae qui senior fuerit, Dominium habeat dictæ terra, ad cuius etiam seniorem filium jure hereditario ducatur: ita tamen, quod ab ejusdem sanguinis stipite non recedat, nec Ducatus Austriae ullo unquam tempore divisionis alicuius recipiat sectionem. Si quis in dicto Ducature fidens, vel in eo possessiones habens, fecerit contra Ducem Austriae occulte vel publice, est dicto Duci in rebus & corpore sine gratia condemnatus. Imperium dicto Duci Austriae contra omnes suos injuriatores debet auxiliari & succurrere, quoad justitiam assequatur. Dux Austriae, principali indutus ueste, supposito pileo Ducali, circumdato seruo pinnito, baculum habens in manibus, equo insidens, & insuperiore aliorum Principum Imperii, conducere ab Imperio feuda sua debet. Dicti Ducis institutionibus, & destitutionibus in Ducatu Austriae suo est parendum. Et potest in terris suis omnibus tenere Judeos, & usuariorum publicos, quos vulgus vocat Gewertheim/ sine Imperii molesta & offensa. Si quisbusvis Imperii curis publicis Dux Austriae praesens fuerit, unus de Palatini Archi-Ducibus est censendus. Et nihilominus in confessu & incessu ad latus dexterum Imperii post Electores Principes obtineat primum locum. Dux Austriae domandi & depulandi terras suas, cuicunque voluerit habere debet potestatem liberam, si, quod absit, sine hereditibus liberis decederet: nec in hoc debet per Imperium aliqualiter impediri. Praefatus quoque Ducatus Austriae habere debet omnia & singula jura, privilegia & indulta, quæ obtinere reliqui Principatus Imperii dignoscuntur. Volumus etiam, ut si districtus & ditiones dicti Ducatus ampliati fuerint, ex hereditatibus, donationibus, emptionibus, deputationibus, vel quibusvis aliis de evolutionum successibus prefata jura, privilegia & indulta, ad augmentum dicti Dominii Austriae plenarie referantur. Et ut hac nostra Imperialis constitutio omni ævo firma & in convulsa permaneat, praesentes literas scribi, & sigilli nostri impressione fecimus insigniri.

An quidpiam ad magnificentiam Regionis nostræ accedere potuit majus? an ad firmam pacem & felicitatem efficacius cogitari? Cedant huic splendori Romanæ umbræ, cedat novæ Austriae Noricum antiquum. Sed ne ultra terminos excurramus, in Licensi Prætoria, atque Metropoli superioris Austriae pedem, gratumque calatum sigimus, ubi simul Inclitorum Statuum, Tuamque fidelitatem, constantiam, dexteritatem animique magnitudinem veneramur. Urbs certè hæc una, ut alias prætereamus, quam fortis, quam fida semper, nunquam neutra, nunquam altera, tot inter motus immota, bellicos inter turbines inconclusa, semper Archi-Ducalis. Suorum nempe fidelitate Ministrorum stetit hic fidelis Ister, & in Lincio reliqua Provinciæ hujus oppida secura steterunt velut in centro, casura si centrum cecidisset. Illius nempe munimenta, more Lacedæmonum, Civium sunt pectora, nullis machinis, nulla hostium vi, atque impetu expugnanda. Tentabatur siquidem hæc Metropolis Friderici secundi Cæsaris tempore ab Ottone Bavariae Duce, sed irrito conatu; obsidebatur ab agresti rusticorum furore Anno 1626. sed expugnari non potuit, risitque vanas sine viribus iras, & spumantes inter fluctus invicta stetit rupe, ad quam fracta sunt cornua Lunæ Ottomannicæ, dum anno 1532. ex quindecim Turcarum millibus Lincum excurrentibus nullus omnino superfuit, qui acceptæ cladis numerum ad suos referret. Jucundum est horum meminisse, ac ea in memoriam revocare gesta, quæ Austriae supra Onasum immortalem gloriam pepererunt. Quanquam quid opus præteritis immorari? hæc ipsa, quæ vivimus tempora satis ostendunt Austriae superioris fortitudinem, dignitatem, felicitatem. Latè scilicet bellorum incendiis involuta fuit.

D E D I C A T I O.

fuit non modò Germania, sed Europa universa; nec adhuc extincta est flamma. Civilibus armis, ac intestino malo pene oppressa jacet *Ungaria*, cujus indomitus furor inferioris Austriae, Styriaeque partes ferro & igne depopulabatur; infestum sensit Martem Gallicum & Boicum *Tyrolis* & *Carniola*. Una prope tot inter bellum turbines & procellas man-
fit immunis & superior Austria superior. Et quamvis jam Lincio vicini hostes minarentur
exitium, unamque machinam ænam in turrim Efferdingensem evexerint, ignem exposue-
runt, hæc ipsa turris Pharos erat, non quò Gallicæ, sed *Austriaca classes* appellerent. Gal-
li & Boji accenderunt quidem furiæ suæ faces, sed ignem hunc, velut scintillas fatuas su-
bito extinxit Austria, imò salutarem accedit Pharon, & contra Bojicos tunc hostes Au-
striacæ securitatis portum erexit. Prælusit huic felicitati nostræ Stahrenbergicum illud Se-
moris *Conradi Symbolum*, quod in turris Efferdingensis porta legitur: *In benedictione*
Domini. Nempe Cœlo favente, dum conjurati veniunt in prælia Divi, Ripense Nori-
tum semper tutum, semper felix, æternitati nomen & famam transcribet.

Ad Prætoriam iterum defluimus: olim hanc & vicina ejus municipia præter Roma-
nos, diversi populi ac gentes incoluerè; hic suas teste Tacito alijsque per intervalla tem-
porum fixè colonias Marcomanni, Quadi, Boji, Suevi, Gepidæ, Gothi, Longo-
bardi, Avares, Hunni, Slavi, Franci Marsingi, Osii, Burii, Ligii, quos Luios Ptolo-
mæus, Luetios appellat Strabo, qui unà cum Tacito de Coratis, Arianis Lentii, Sua-
netis Ambidronis; Ammianus verò Marcellinus de Sarmatis Dacisque meminerunt, quæ
litibus Historicorum obnoxia seu vera, scudubia sint, illud minimè ambiguum; unicam
Licensium Urbem, totius pene Europæ liberale hospitium esse; quæ enim gens, quæ na-
tio, quis populus, quem non excipiat? hæc Boji, Hassi, Dani, Rhenani, Bohemi, Panno-
nes descendunt ascenduntque, imò integri commorantur exercitus, quibus Prætoria hæc,
domus est annonaria, insula Licensis, Insulæ Fortunatae, asylum & metropolis largæ
pietatis, externis domestica, advenis indigena, omnibus omnia fit, sufficit omnibus,
nunquam deficit. Nec tamen onera sentit Civis, tutissimus domi suæ damna colonus non
patitur, nemo queritur subditorum. Quæ omnia dum singulari Statùs Inclyti sapientiæ,
Tuoque verbo, Tu à dexterâ, Tu confilio aguntur *Perillustris Domine*, floret, flore-
bitque Austria superior, nec unquam occasum habitura est illius Reipublicæ felicitas,
cujus Ministri rationes administra verint tam abstinenter quæm alienas, tam diligenter
quæm suas, tam religiosè quæm publicas. Unus quippe labor Tuus est, quem Patriæ bo-
no, saluti publicæ, & Ripensis Norici gloriæ impendis: ea meditari, ea facere, quæ ad
augendas Civium & Colonorum fortunas plurimum adferunt emolumenti; dignissi-
mus Tomitani Poëtæ elogio Fastorum. 2. *Nulla tibi ambitio est, nullo corrumperis auro,*
legitima servas credita rura, fide.

Versaris in rebus futuris, sagaci mente percurris Provinciam, ubique præsens, quia
ubique consuleris, numeratas habes omnium subditorum opes, ostendis quid singuli pos-
sint, addis ingenium ut posse velint. Unde Tuæ, ac imprimis Inclytorum Statuum sum-
mæ prudentiæ ac providentiæ tribuit unversa Regio supra Onasum, quod in amplum adeò
& locuples creverit ærarium, ut antiqua plurimum vincat sæcula, quibus hinc Romanæ
ditabantur aulæ. Terra quidem modica, & angusto clausa limite, si metiamur ex spatio, si
ex Civium animis, & amore subditorum in Principem, amplissima, dum Austriacis debi-
ta Cæsaribus tributa non tam exolvit, quæm anticipat, profundit opes promptæ manu ve-
lutex fonte, nec unquam exhaustur; supponit ultro humeros oneri, nec unquam oppri-
mitur,

D E D I C A T I O.

mitur, aut succumbit, satis dives, publicæ si studeat felicitati, imo inter lucra numerat, non modò fortunas, sed vitam & sanguinem Austriaco Cæstari consecrare. Digna sanè administrationis forma, quæ cæteris præscribatur; dignus amor, & illibata fidelitas, quam summis prosequantur omnes laudibus, alia imitentur Provinciæ, grata marmora æternent. Hujus Tu laudis, & gloriæ particeps Perillustris Domine, tulisti operæ ac virtutis Tuæ pretium, dum Cor tuum totum in Aquilis, & Aquilæ in corde Tuoo (quod gloriose stirpis Tuæ exprimunt insignia) Fidelis Austriacæ Cameræ Adjutor, oculos mentemque defigis in Cæsareas Aquilas, & illæ benigno Te respiciunt oculo, novis ornant favoribus, qui semper novos promereris. Unde factum, ut ante tempus, quod ad singularem nominis Tui commendationem spectat, omnium contentione sis designatus in Quæstorum Provinciæ, quo facto suam Austria fidelitatem per Te fidelem, suam promptitudinem per Te promptum assecuraret. Experti nempe sunt omnes illi quibuscum agis, raram in Consiliis prudentiam, fortitudinem in arduis, facilitatem in difficillimis, celeritatem & felicitatem in exequendis. Quid mirum? ab ineunte jam ætate hæsisti in Protocollis, recondita sæculorum gesta profundè penetrasti, & modò etiam labor, & deliciae Tuæ sunt erigere bibliothecas, libros evolvere, ex his tanquam consiliariis audire, ac Tuam, quæ magna est, augere sapientiam, ad mentem sapientis Prov. 15. Audiens sapiens, sapientior erit. Observans, & illud græci Poëtae: Primum esse beatum, qui per se sapiat, secundum qui sapientem audiat. Quod utrumque quia Tibi proprium, præsidium, & dulce decus Patriæ, ad magna evectus, majora promeritus, si non superasti Ancestores, pro Tua modestia loquimur, adæquasti. Parcimus hic modesto rubori Tuoo, nec virtutes, quæ longo Testipant agmine, recensemus. Laudant has illi qui intuentur; & nemo est, qui non videat, quantum Te extollat profunda animi Tui demissio, dum per tot præclaræ gesta nihil attribuis Tibi, præter nomen fidelis Ministri. Hinc omnes Tui rapis in amorem, omnes amas, & ab omnibus amaris, æquè summis, ac infinitis charis. Tecum nata est humanitas, Tecum crevit majoribus incrementis, quam anni Tui. Hæc affabili morum comitate communicas Te omnibus, nulli negas; omnis hora Tua publica est, nulla domestica. Aedes ipsæ Tuæ, amoris quasi domicilium sunt, in quo audis omnes, & respondes omnibus, velut echo publica. Nemo adeo miser Tua ingreditur limina, qui non felix redeat, nemo tam desolatus, quem non consoleris. En ut vel nolentem abripiant calamus virtutis Tuæ decora. Paremus igitur imperio Tuoo, & abstinemus plurimis.

Illud unum sine injuria, & gravi labore in gratitudinis præterire non possumus, nec debemus, quod ad majus Christianæ Reipublicæ incrementum & gloriam cedit florentis per Austriam Religionis, quam quidem complura jam ante sæcula, & à primis Ecclesiæ incunabulis jussu D. Petri Apostolorum Principis, à S. Marco missus Laurentius nomine primus Lauriaci Episcopus implantaverat; ubi ad perpetuam orthodoxæ Fidei memoriam, etiamnum prostat in alta turri, foro locata vetus inscriptio:

Aspicio exiguam, nec magni nominis urbem,

Quam tamen æternus curat, amatque DEUS,

Hæc de Laureaco reliqua est: his Marcus in oris

Cum Luca, Christi dogma professus erat.

Ingruente verò Scytharum turbine, convulsa erant sanctitatis initia, rursumque per diversos Germaniæ Apostolos, & Archi-Episcopos Laureacenses, primævo reddita flori Fides, magna in dies sumptis incrementa, quæ ut latius efflorescerent, non tantum sudore

Aposto-

D E D I C A T I O .

Apostolico, sed etiam sanguine Martyrum, D. Severini, Quirini, sociorum ejus, & Floriani, aliorumque irrigata; demum sub Austriacis Principibus, non modo ad avitam pietatem, sed ad sanctam quoque maiestatem, universa hæc Regio, in tot larga munificentia erectis templis, & aries, cœnobiosis & Collegiis emicat, fulgescit. Magna hæc sunt ac perenni digna ære, digna æternitate. At quantum o superi crescat gloria; quantum ornamenti veræ Fidei, novellæ in Fundatione Septentrionalis Juventutis; cui Tu Per illuſtris Domine, Meccenas gratiosissime caput feliciter imposuisti, dum efficaci suavitate tua, zeloque ardenti eo facile pertraxisti Status Inclytos (Quorum nomen semper erit in benedictione Domini) ut saluberrimo huic ad propagandam Römatiæ Fidei veritatem, per totum Septentrionem virtutum Seminario, & firmam Lincii stationem concederet, & idem piâ munificentia ad summam perfectionem perduceret. Nemo jam in dubium revocet verum esse, quod canit Poëta: *Regis ad exemplum totus componitur Orbis.* Augusta siquidem vîtrices inter laureas regnantis feliciter JOSEPHI Primi, Romanorum Caesaris liberalitas prima jecit fundamenta, continuavit pientissimum opus liberalis multorum pietas, Tu verò, ac Te movente, Te cooperante Status Incliti supremum apicem imposuisti. Quo saðo dicine aut cogitari potest, an unquam Ripense Noricum ubiorem virtuti sua, atque gloriae funduni repererit? Laudabit sanè immortale opus Romana Curia; & jam approbat Ecclesiæ Oraculum Summus Pontifex Clemens XI. Audiet Austria inferior, deprædicabunt longè à nobis possiti, ac Provinciarum etiam aliquot interjectarum spatio remoti populi, universa Europa dicet: *Status Incliti Austria supra Onasum* uno actu cumulant beneficia, multiplicant merita, solantur lachrymas quas non vident, emolliunt gemitus quos non audiunt, adjuvant inopiam quam ignorant; quorum liberalitas penetravit in alia regna, in externas pervasit Provincias. Mirabuntur exteri amari se, & ignotos esse, ac vel inviti liberali manu in obsequium Fidei & avitæ pietatis, tanquam aureis corripedibus pertrahentur. Una dolebit impetas, gemitque in erecto Lincii Pieratis, & virtutum domicilio se esse consuplant. Sic nempe fons malorum obstruitur, exsiccatur pestilens errorum torrens, qui late Europam involverat, securoque remigio & fortunatis avibus Orthodoxa Fides in orbem alterum, ad Indos, & Japones extremamque Thule in lumen Christianæ veritatis invchet, ac sincera pietatis flammæ mundum accendet universum.

Ita dum Austria superior Germaniæ Patriæ suæ totique Septentrioni propicit, novum efficit orbem, imo Ripense Noricum novum transmutat in cœlum, & ad ripam Danubii supra Lincium polarem figit stellam, quâ serenatâ, jucunda cæteris accedit Zonis temperies, & illa micabit amoenius, & influet uberior, monstrabitque Septentrioni viam ad Fidem, ad salutem, dum plurium sæculorum vitia & errores, paucorum annorum spatio purgabuntur, extinguentur. Quod quanti momenti sit, imo prodigi, intelligent olim Posteris Austria superior, ac imprimis Licensis Prætoria, mirabitur se dividi, imo coalecere in plura Regna & Provincias, Regna & Provincias Aquilonis eorumque populi: Dani & Norwegi, Sueci & Liviores, Rugi, Mechliniensis, Saxones, Pomerani, Prussi, Hassi, Ungari, Transylvani, totus denique Septentrion gaudebit se ad Istrum in litore Licensi portum salutis inveniente. Nos verò tanti beneficii æternum memores, reddemus & reddimus vota pro Austria, quorum scopus & meta Cœlum est, errare non possumus. Juventus quoque Septentrionalis, & virtutes quibus illa imbuetur, attes ac Musæ quas illa colet & amabit, nomen famamque Benefactorum, *Status Incliti, Tuamque Per illuſtris Domine gratas inter laudes æternum decantabit.*

Tuis interim beneficis devinetti, dum pares referre non possumus gratias, DEum ipsum damus pro pignore, à quo ardenter & constanter id unum precabimur, & precamur: Dignus immortalitate diu, & in canam senectam vive DEO, vive Patriæ, vive Tibi, & nobis. Arbor stirpis Tuæ semper florida, semper fecunda, quæ ex *Tenebrosa Sylva* non procul trans colles Cremifanio in hortum, imo Paradisum Licensem transplantasti, germinet & germinet gloriae Tuæ lumina, ut fias in posteris Parens, Avus, Abavus, Tritavus, ac ventura sæcula seros carpant Tuæ poma nepotes, fructusque quos jam in deliciis habes, paternæ virtutis æmuli secundo germine hortum Mannsdorffianum in multa sæcula, & longam posteritatem dilatent. Quod votum, ac tenue pensum gratitudinis, huic operi Tibi consecrato inscriptum volvamus. Excipe illud amplio, quo soles, & atmabili beneficitia Tuæ sinu. Volve, revolve, quot literarum leges elementa, totidem sunt perennis nostræ in Te gratitudinis, imo gloriae Tuæ, ac felicitatis monumenta. Vive iterum, & vale, nobis & Septentrionali Juventuti semper fave. Ita precatur:

Honoribus Tuis devotissimus

MARTINUS GOTTSER, S. J.

Authoris ultimæ voluntatis Executor, p. t. Nord. Fund. Proc.

PRIVI-